


Q. D. B. V.
DE



HOC EST,
DE

PAPYRO FRVTICE,

Von der

Papier-Staude

AD ESAIAE XIX, 7.

PERMISSV

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN

ACADEMIA LIPSIENSI

H. L. Q. C.

DISSERET

P R A E S E S

M. IOANNES GODOFREDVS

VNGERVS,

CYGN. MISN.

R E S P O N D E N T E

IMMANVELE ERNESTO HAHNIO

DRESDENSI,

PHIL. BACCAL. ET S.S. THEOL. CVLT.

DIE XV. DECEMBR. A. O. R. MDCCXXXI.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIL.

~~31.~~

d. CXXXI. 14.

Coll. diss. A
125, 14

PAPYRO FRATICE

ACADEMIA LIBERARUM

ACADEMIA LIBERARUM

ACADEMIA LIBERARUM

M. JOHANNES GODOFRIDUS

WISSENSCHAFT

ACADEMIA LIBERARUM

ACADEMIA LIBERARUM

ACADEMIA LIBERARUM

12



VIRIS
EXCELLENTISSIMO ATQVE AM-
PLISSIMO

IO. IACOBO MASCOVIO,

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI, IN SVPREMA
CVRIA PROVINCIALI PARITER ATQVE CONSISTORIO
ADSESSORI, IVRISQVE PROFESSORI PVBLICO, CAPITVLI
CIZENSIS CANONICO, INCLVTAE REIPVBLICAE LIPSIE-
SIS SENATORI, COLLEGIHQVE MINORIS PRINCIP.
COLLEGIATO,

NEC NON

MAXIME REVERENDO AMPLIS-
SIMOQVE

**VRBANO GODOFREDO
SIBERO,**

SS. THEOLOGIAE LICENTIATO, AD AEDEM S.
THOMAE LIPSIENSIVM ARCHI-DIACONO, ANTIQVI-
TATVM ECCLESIASTICARVM PROFES-
SORI PVBLICO,

PATRONIS AC MAECENATIBVS SVIS
OPTVMIS, MAXVMIS

HAS PAGELLAS

DEVOTA MENTE

AD ULTERIOREM COMMENDATIONEM

AC PATROCINIVM,

VETERI CLIENTVM MORE

D. D. C.

DEVOTISSIMVS CLIENS

M. IO. GODOFREDVS YNGERVS,

SEMINAR. PAVLL. FACULTAT. THEOL. LIPS. MEMBR.

IEHOVA IVVA!

§. I.



Nter summa, quae Benignissimum Numen hominibus contulit, bona papyrum esse referendum, qui inficias eat, neminem fore arbitror. Siue enim quis vtilitatem sequatur, vix quidquam vtilius, siue excellentiam, vix quidquam praestantius, siue aptitudinem sen-

sa animi aliis communicandi, vix quidquam aptius in rerum natura esse deprehendet. Vnde sententiam CAII PLINII MAIORIS *) merito collaudamus, qua, *chartae*, inquit, *usu maxime humanitas vitae constat et memoria*. Ad quod quidem effatur, verissimum MELCHIOR GVILANDINVS, **) felix horum verborum interpres, praeclare ait: Dixit Plinius *chartae usu maxime humanitatem vitae constare et memoriam*, propter libros, in quos praeepta bene viuendi, res gestas, artes plurimas, praeclaras animi nostri meditationes, et multa alia, nomine nunquam interituro, immortaliterque describimus, ac praesertim propter officium, quod absentibus, et longo a nobis interuallo distitis, per literas praestamus.

§. II. Cum autem charta, qua vtimur, hodierna a papyro, Aegypti frutice praestantissimo, nomen fuerit sortita, et dulcissimus vates Esaias diuinum de eo nobis reliquerit oraculum, explicatione longe dignissimum; hinc nos, antequam aliud, quod in Psalmos Dauidis meditatur Opus emitteremus, de eo disserere non nolimus. Faxit modo Numen Optimum Maximum, vt vel hocce

A 2

insti-

*) L. XIII. c. XI. Histor. Natur.

**) Membr. I. Comment. sui in

tria C. Plinii Maioris de papyro Capita p. 28. Edit. Amberg. 1713.

institutum nostrum in eius vergat honorem, vt eius nomen, quod in regno naturae ex ipso papyro frutice eminentissime emicat, ab impiis quoque vltius inuestigetur pariter atque amplificetur! Verba Prophetæ ita fluunt:

Ies. XIX, 7.

עָרוֹרָה עַל-יְאֹר עַל-פְּי יְאֹר וְכֹל מִזְרַע יְאֹר
יִבֶשׂ נֶדְרָה וְיֵאֱכָלוּ:

Versio Sebast. Schmidii:

Papyri iuxta flumen (Nilum), iuxta os fluminis, et omne semen fluminis exarescet, impelletur, et non erit (amplius).

Reformata German.

Desgleichen die Papyr-Stauden an den Bächen, am Gestade der Bächen, und alle Saat an den Bächen wird verdorren, sie wird vertrieben werden, und nicht mehr seyn.

Belgica.

Het Papier-Gewas by de Stroomen gen de Oevers der Stroomen, ende al het Gezaeyde aen de Stroomen, sal verdroogen, het sal wechgestooten worden, ende niet (meer) zijn.

§. III.

Quilibet, me non monente, intelligit, in hoc oraculo de עָרוֹרָה h. e. de papyro, frutice Aegypti famigeratissimo, sermonem esse. Et cum varia de significato, natura, historia ac fine Creatoris circa עָרוֹרָה veniant ponderanda, ea autem, quae alii de hac materia scripserunt, aut non sufficiant, aut obscure admodum et confuse sint tradita; hinc nos nostrarum partium fatacturos esse existimauimus, si quatuor Capitibus haec omnia sigillatim exponeremus, Lectorique adeo decenti ordine lucem affunderemus. Inscriptimus hanc ob causam

CAP.

CAPVT I.

DE

CONSIDERATIONE PHILOLOGICA

עָרוֹרֵי SEV PAPHYRI.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

- Connexio vaticinii huius cum Dissidentibus re nobiscum con-
praecedentibus §. I. veniunt §. XII.
- Cum conseqq. §. II. סוף et גמול sunt synonyma
Obiectum s. עָרוֹרֵי in quo car- טָעָה sed notant papy-
do totius rei vertitur. §. III. rum communem §. XIII.
- Difficile, utile tamen est hanc LXX. viralis interpretatio re-
vocem inquirere. §. IV. futatur §. XIV. Inde
- Diuortia sententiarum circa Explicantur reliqua verba hu-
eius significatum §. V. ius versiculi §. XV.
- Notat vero papyrum, quod pro- יאור notat Nilum, uti נהר
batur Euphratem, quod obseruatur
ib.
1. ab origine vocis, descendit ערור §. VI. non
enim ab ערור aequae ab עור contra Kim-
chium §. VII. Per פי יאור explicatur §. XVI.
2. ab emphatico positu verborum כל מזרע quid intelligatur, ex-
Prophetarum §. VIII. ponitur §. XVII.
3. ex historia Nili §. IX. יבש proprie accipitur §. XVIII.
- quod papyrus etiam in Sy- נהר emphatice ponitur, quod
ria, et ad Euphratem gi- docet §. XIX.
- gnatur, huc non pertinet §. X. Sensus versiculi nostri proprius
est §. XX. Et sic
4. ex consensu Ebraeorum §. XI. Transitur ad Caput secundum
§. XXI.

§. I.



Ntequam explicandi vaticinii nostri initium fa-
ciamus, haud abs re fore opinamur, ea, quae
antecedunt pariter ac quae sequuntur praeli-
bare. Praedixerat haecenus Cap. XVIII. vates
Aethiopicis fata feralia; iam totus est in eo,
vt Aegypto quoque, regno tum temporis florentissimo, de-

A 3

cre-

crementa et ruinam denunciaret. Idque vt ad oculum quasi demonstret Aegyptiis, nil tale metuentibus aut sperantibus, singulas res, internecioni succubituras, prolixè in hoc Cap. XIX. enarrat. Quam narrationem exorditur a destruendis idolis, seu religione Aegyptiorum v. 1-3. Deinceps pergit ad destructionem regni ac Principis Aegyptiorum, quippe non amplius sub auspiciis pacifici aut clementis Regis, sed sub manu duri domini vitam essent transacturi v. 4. Hanc calamitatem excipit inopia victus et amictus, omnes enim fluuii, omnes amnes, omnes aluei cum prouentibus suis exsiccandi praedicuntur v. 5. Prouentus autem illi fluminum, quorum defectus dicitur exspectandus, statim v. 6. recensentur, nimirum קָנָה וְסוּף pabulum illud pecudis Aegyptiorum, vnde maxima pars alimentorum proueniebat, marcescent. Cum itaque speciatim horum fecerit mentionem Propheta, neque עֲרוֹרָה seu papyros describere omittit v. 7.

§. II.

Haec sunt, quae antecedunt oraculum nostrum. Stupenda vero dixeris ea, quae idem insequuntur. Nempe ex prouentibus illis fluuiorum, imprimis Nili, dependebat maxima, tantum non omnis copia et vbertas Aegyptiorum. Quare a v. 8 - II. lacrymae et planctus piscatorum describuntur, siquidem exsiccatis fluminibus occasio hamum in mare proiiciendi, et rete super aquas, עַל-פְּנֵי-מַיִם extendendi cessat, de quo loquitur Propheta v. 8. Et vt paucis verbis, neruose tamen ac ponderose, pro more suo, rem exprimat: *lugebunt*, inquit, כָּל-עֹשֵׂי שֹׁכֵר אֲגַמֵּי-נַפְשׁ *omnes facientes mercedem ex stagnis desiderii sui* h. e. omnes piscatores v. 10.

§. III.

De antecedentibus itaque ac consequentibus cum inter nos constet; ante omnia *Obiectum*, quod est *papyrus*, erit inuestigandum. Quippe in papyro describendo nos operam nostram qualemcunque esse collocaturos promissimus, papyrus igitur vtramque facit paginam sermonis. Cum vero vox illa עֲרוֹרָה in fronte versiculi nostri posita, tum
aliis,

aliis, tum nobis nomine papyri veniat, idque optimo iure; hinc cardinem rei in inquirendo, enodando, stabiliendo huius vocabuli significatu verti existimamus.

§. IV.

Negotium autem est certe periculi aequae ac laboris plenissimum rem hanc conficere. Requiritur enim, ut quis historiae Aegyptiorum apprime sit gnarus, et in promptu habeat fruticum prope ripam et vndas Nili nascentium naturam, usumque, ut videlicet omnibus praesidiis ex antiquitate studiose collectis solidi aliquid et veri, imo certi de papyro concludi possit. Neque putandum est, laborem, qui rebus huiuscemodi inuestigandis et perquirendis impenditur, inutilem esse planeque sterilem. Quo altius enim omnis disputatio arcessitur, hoc iucundior et utilior esse debet, vel ideo, quia vna idemque opera illustris Scripturae diuini loci explanatur.

§. V.

Quid vox פפירוס significet magna sunt sententiarum diuortia. Alii enim vertunt: *nudabitur*, in quibus HIERONYMVS, a) nec non THOMAS AQUINAS, b) Doctor ille Angelicus, quos tamen errare in forma verbi vel luscus videt. Alii $\alpha\chi\iota$ h. e. *vlvam, caricem* reddunt, quod fecit LXXviralis interpres, c) quem THEODORET. d) et CYRILLVS ALEXANDRINVS alique ex Patribus sequuntur. Alii transtulerunt *gramina*, e) ad quos B. MEGALANDER, IO. OECOLAMPADIVS et GALLICVS interpres pertinent. Alii *germina, iuncum, scirpum* hoc nomine exprimi volunt, in quibus IO. COCCEIVS, VRSINVS, SALMASIVS. f) Alii denique, et quidem plerique, quod infra docebimus, *papyrum* interpretantur. Nos equidem neminem tantorum S. Codicis interpretum laude sua defraudamus; interea tamen significatum vocis huius esse *papyrum*, eorum pace defendemus.

- a) T. V. Opp. Lib. VII. Comment. ad c. XIX. Ies. f. 41. c) $\alpha\chi\iota$ τὸ χλωρόν addit de suo, quod in Hebraico non habetur, inquit HIERONYMVS l. c. c) T. II. Antwerp.

d) T. II. Opp. ad c. XIX. lef. f. 72. Edit. Paris. 1642. De CYRILLO ALEXANDR. infra erit locus dicendi.

e) B. LVTHERVS expresse: daß Graß reddidit. IO. OECOLAMPADIUS in Comment. in Prophetas ad c. XIX. lef. f. 136. vertit *gramina*. Quibus cum Gallica Versio: *les prairies* consentit. Ab his non abluunt ii, qui *gramineta, olera*, cum PAGNINO ac MERCERO transponunt, quos refutat MATTHIAS HILLERVS in Hierophyt. P. II. c. 38. p. 313. sq. *vocem*, inquit, עירי qui *gramineta vel olera verterunt*, Synonimon eam putarunt nominis אוריר, sed lapsi sunt per errorem, quia ע littera licet gutturalis annumeretur, cum א nun-

quam permutatur, eaque de causa eiusdem significatus vocabulum non constituit.

f) IO. COCCEIVS in T. II. Opp. Comment. in lef. f. 285. *germina* supra amnem vertit, quod idem facit in Lex. f. Commentario Sermonis Ebr. et Chald. p. 645. VRSINVS in Arboreto biblico p. 158. עירי papyrus notare vltro quidem fatetur, sed *iuncum, scirpum* ארמי idem cum eo esse vult. Nec longe abest SALMASIVS in Exercitatt. Plinian. p. 705. qui equidem Hebraicum vocabulum non habet, פלעו h. e. *scirpum* tamen papyri Synonimon esse docet, ea de causa, quoniam similitudinem et vsum Niloticæ habuerit plantæ, quod tamen erat probandum.

§. VI.

Quantumuis autem vox hæc fit ἀπαξ λεγόμενος in S. Codice, et tam multifariae interpretum opiniones; nos tamen haud inualidum argumentum, pro euincendo significato papyri, ab origine vocis peti posse, nobis persuasum habemus. Descendit autem vox עירי a radice ערו quæ radix apud Hebræos quatuor potissimum obtinet significationes, prima est *euacuari, effundi*, quasi esset a Graeco ἀγειν vel ἀγειν tollere. a) Altera est *nudare, reterege, discooperire*. b) Tertia est *adhaerere, cohaerere*, c) et quarta denique est *virescere*, quia viriditas arboris vel plantæ alicuius integritatem indicat, succique in ramos et folia virentia largam effusionem importat. d) Quam vltimam verbi ערו notationem facimus nostram, præsertim cum in ea opinione Participium מערו et Nomen מערו nos confirmant. Illud cum præfixo ו legitur Ps. XXXVII, 35. Hoc cum præfixo מ Iud. XX, 33. Illud notat omne virens hoc locum herbis

herbis virescentibus abundantem. Vtrumque est a radice ערה. Quibus cum si componas ערוּר, habebis *virentia h. e. papyros, frutices virentes.*

- a) Vti AVENARIUS loquitur in Libro Radicum p. 599. Hanc autem euacuandi significati-
nem habet ערה in Piel. Vnde in Fut. Piel in 2. f. masc. תערה per Apocopen autem 3. rad. ה legitur תערה effundes Ps. CXXI, 8. Sic in eadem forma Apocopata cum ו conuersiuo תערה et eua-
cuauit. Gen. XXIV, 20. add. Chron. XXIV, 11.
- b) Hoc significatu notum est Perf. Piel ערה retexit, Zeph. II, 14. Infinit. Piel ערות retegendo Hab. III, 12. Fut. in Piel יערה
- nudabit Es. III, 17. Vnde nata-
les traxit vox ערה relectio Mich. I, 11. Ezech. XVI, 7. Alia nomina eiusdem significatus, huc pertinentia, operose et laudabiliter collegit ROBERTSON in Thesaur. Lingu. S. p. 771.
- c) Quod pluribus ex Rabbini-
s ostendit BVXTORFFIUS in Lex. Chald. Thalmud. Rabbin. f. 1664.
- d) Vti egregie obseruauit STO-
CKIUS in Clau. Lingu. S. p. m. 813.

§. VII.

Quod autem ערוּר nullam aliam agnoscat matrem seu radicem, quam ערה, illud facile ex analogia reliquo-
rum nominum, eodem modo a verbis ל"ו formatorum colligere est. Sic habemus a radice בלוּ nomen plurale foemininum בלוּר *vetera* Ios. IX, 5. a קנ"ו nomen plu-
rale foemininum קנור *calamos*, Ex. XXV, 36. ab על"ו nomen plurale foemininum עלות *pistilla*, ab attollendo sic dicta 2. Chron. XXIV, 14. Et PAGNINVS ait: No-
minatiuus pluralis foeminini ערוּר est quasi a singulari ver-
bi ערה. a) Facili autem negotio refutari potest R. D. KIMCHIVS ad h. l. qui ערוּר nobiscum vertit quidem pa-
pyros, sed nomen עור quod notat *cutem, pellem*, adeoque radicem ער matrem esse mauult, ideo, quia papyri in prae-
tenuis et multiplices membranulas acu fuerint diuisae. Nam עור pariter ab ערה descendit, et, quod probe notandum obseruandumque est, ערה et ער formas inter se saepe mutant ac mutuant; b) praeterea acus plane erat inhabilis ad membranulas a papyro diuellendas, quod infra Cap. II. §. XIV. ex GVILANDINO audiemus.

B

a) Nos

- a) Nos formamus ערוה ita. ערה in Particip. habet ערה et hoc est nomen generis masculini. ה mutatur in gen. faeminino in ה habes ערה vti eodem modo procedimus in tribus allegatis eiusdem formae Nominibus. Denique Faemininum Singul. ה in Plur. transit in הו iuxta regulas Grammaticorum, inde efficitur ערוה.
- b) Hoc obseruandum est tum vt non fallamur in radice, tum vt ex tricis Lexicographorum eripiamur. Obseruationem autem hanc illustrabimus. Sic a radice nostra ערה est Imperat. ערה nuda te Ies. XXXII, II. forma petita a rad. ערה cum ה Paragogico. Sic Fut. תעור nuda bitur Hab. III, 9. vbi forma rursus ab ערה est mutuata.

§. VIII.

Quemadmodum autem *origo vocis* eiusque *significatio* satis pro nostra sententia loquuntur; ita non minus *emphatica positio ac cohaerentia* verborum Prophetae rem confirmant. Emphatice enim exclamat: ערוה על-יאור papyri iuxta riuum, addit: על-פי יאור iuxta ripam fluminis יבש exarescent. Quot verba, tot pondera! Exaggerat enim vates rem, praedicens omnibus Aegypti incolis, *papyrus* praestantissimi vsus fruticem, ex quo tot commoda ad omnes redundassent, et, vt dicamus quod res est, *qui tam egregie viruisset, esse exariturum*, humoreque priuatum iri. a)

a) Recte hoc nobiscum vrget VITRINGA in Comment. ad Ies. p. 747. quando Versionem LXX. viralem refutat. Verba eius ita fluunt: *neutiquam concedo, illum (Graecum interpretem) vocem ערוה hic recte transfuisse per suum ἀξί, cum emphatica hic maxime sit oratio Prophetae, et de honestiore ac*

proprio magis Nili prouentu loqui potuerit, quam de vluua vel carice. Ergo ne longior sim: intelligo hic papyrus, celeberrimum Aegypti fruticem, productum peculiare Nili et riuorum, ex eo ductorum, atque paludum Aegypti, quas effecit Nilus.

§. IX.

Tertio loco sententiam nostram confirmamus ex historia fluminis Nili. Iam vero constat, quod praecipuus prouentus ac frutex Nili fuerit papyrus. Ab omnibus enim scriptoribus, qui saltem fruticis huius mentionem faciunt, quo

quo THEOPHRASTVS, HERODOTVS, CYRILLVS ALEX. PLINIVS, SOLINVS, SALMASIVS, GVILANDINVS, MONTEFAVCON aliique a) pertinent, asseritur, quod ad scribendum, ad edendum, ad calefaciendum, ad nauigandum incomparabilis eius fuerit vsus, quod infra Cap. III. pluribus exponemus. Historia itaque, haud vltimum in Exegesi dubiorum locorum adminiculum, suadet, vt de nullo alio magis, quam de *papyro* frutice circa vocem פפירוס cogitemus.

a) Alii ex professo vt PLINIVS, GVILANDINVS, et MONTFAVCON de hac materia scripserunt, alii incidenter, quorum testimonia infra l. c. adducemus.

§. X.

Nemo hic obiiciat nobis THEOPHRASTI a) verba, quando, nascitur, inquit, et *in Syria* papyrus, circa locum, quo et calamus odoratus: vnde et Antigonus in re nauali funes fecisse proditur; aut verba PLINII, b) qui vult, papyrum gigni quoque in *Euphrate* circa Babylonem; nihil enim contra nos faciet, cum totum caput XIX. ESAIAE, ex quo versiculus noster est excerptus, de calamitate Aegyptiis inferenda c) agat, vbi Nilus, fluuius notissimus, non Euphrates deprehenditur. Idem respondemus iis, qui GVILANDINI, summi viri, nobis opponant experientiam, quippe qui de papyro d) testor, ait, me vidisse in CHALDAEA, qua duo amnes *Tigris* et *Euphrates* concurrunt per amplas paludes, ex quibus papyrus nihilo discrepantem a Niliaca Gennesareticaque meis manibus erui atque euulsi. Non enim contra Euphratem, sed Nilum directum est vatis nostri oraculum, vt patebit ex §. XV. huius Cap.

a) L. IV. c. 9, de Historia plantarum.

b) Verba ad c. II. §. 3. adducemus.

c) quod statim inscriptio Capitis docet: מִשָּׂא מִצְרַיִם h. e. מִשָּׂא דְּבַר-יְהוָה אֶל-מִצְרַיִם *prolatio*

verbi diuini contra Aegyptum conf. Malach. I, 1. Zach. IX, 1.

d) MELCHIOR GVILANDINVS de papyro in Membr. IX. p. 276. n. 35. Edit. Amberg.

§. XI.

Denique his praemissis recte prouocamus ad consensum tum veterum Ebraeorum, tum recentiorum Criticorum ac Commentatorum. Istis teste BVXTORFFIO, a) et VRSINO, b) nota fuit vox פפיר, quibus album, quod aiunt, calculum adponunt KIMCHIVS et AVENARIVS. c) Illi recentiores IVNIVM, TREMELLIVM, SCHMIDIVM cum ROBERTSONE aliisque non habent dissentientes; hi vero non solum VITRINGAM et HILLERVM, d) sed et VARENIVM e) suos agnoscunt defensores; vt de Versiōnibus supra allegatis et laude sua dignis nihil dicamus.

a) in Lex. Chald. Thalmud. et Rabbin. p. 1780. vbi ex Thalmude Hierosolymit. Massech. Sota cap. vlt. adducit אפיפירות h. e. vestes papyraceas.

b) VRSINVS in Arboreto biblico p. 158. inquit: papyri vox in plerisque linguis haesit. Nam et Rabbinum vtuntur eo פפיר

c) KIMCHIVS ad h. l. et AVENARIVS aliique verterunt ערות papyros. Et HIERONYMVS l. c. in notis: cum, inquit, quaererem ab eruditissimis, quid hic sermo (quem LXX. ἀχαιὸν χλωρὸν reddidit) significaret: audiui ab Aegyptiis hoc nomine lingua eorum omne, quod in palude virens nascitur, appellari.

d) MATTH. HILLERVS, Abbas ille Regiofontanus, quem tantopere laudat in Praef. SALOMON PFISTERVS, P. P. Bebenhusanus, nos, ait, (post laudatum IVNIVM ac TREMELLIVM) tum notatione et forma vocis, tum antitheto in altera parte huius versiculi posito, adducimur, vt interpretemur βιβλον s. papyrum, vide eum pluribus in Hierophyt. P. II. c. 38. p. 214.

e) in Commentario suo ad h. l. Facit, inquit, pro hac (significatione papyri) oppositio sativarum in m. 2. cum papyrus insatiua sit, facit radicis applicatio. Praeclare.

§. XII.

Dissentientes plerique facillime cum nostra sententia possunt conciliari. Siue enim radicem ערוּ siue עור pro matre assumunt. Qui illam eligunt, in tres possunt redigi classes; Namque aut prouocant ad secundam significationem nudare, vnde HIERONYMVM et AQVINATEM in forma a) errare supra §. V. diximus; aut prouocant ad tertium significatum adhaerere cum OECOLAMPADIO, qui ערוּ gramina, minutis radicibus adhaerentia Ebraeis dici ait ad h. l. et

et

et cum MERCERO, qui vertit *herbas virides*, quasi *adhaerentes riuis fluminibusque*, et in hoc non multum, vt quilibet videt, a nobis dissentiunt; b) aut denique ad quartam nobiscum prouocant notationem, et inde *papyri virentis* emergit significatio. Qui vero hanc posteriorem עור radicem malunt, quod KIMCHIVS aliique c) cum eo faciunt, illi formas verborum עור et עור quas inter se mutant saepe ac mutuunt, confundunt, vti iam supra §. VII. obseruauimus.

- a) Etiam si dicere velles per Hebraisimum: *nudando nudabitur*; tamen non quadraret על-יארר deficiente Nomine, quod *subiectum* exprimeret, et praeterea non video, quem in finem debeant coaceruari verba: *nudabitur, exarescet, dispelletur, non erit.*
- b) Idem censemus de Versione B. Lutheri nec non de Versione Gallica.
- c) v. c. HILLERVS supra laudatus ab עור derinat עור quoniam in multas plagas frutex ille fuerit secatus.

si. XIII.

Restat adhuc magna lis circa Synonima vocis עור. Nos laudamus eruditam obseruationem VIRI Magnifici, Patroni ac Hospitis nostri Summe Venerabilis et incomparabilis DEYLINGII, a) *obseruandum*, inquit, quod סוף et גמני, η βιβλος et ο πάπυρος idem notent. Ita Es. XIX, 6. in vaticinio contra Aegyptum סוף Graeci πάπυρον reddunt, et Exod. II, 2. Jonathan habet בנו גמני in medio papyrorum pro בסוף. Hoc tamen non obstante, adhuc notandum, quod papyrus alia fuerit communis f. vulgaris, alia Nilotica, Aegypto propria, vti peregrae monet SALMASIVS. b) Adeoque et sic rem perfacile expediemus, si quis versiculum, Textum nostrum antecedentem cum LXX. reddat papyrum, nempe גמני, videtur quidem esse Synonimum ערות sed notat *papyrum communem*, ערות vero notat proprie papyrum, fruticem illum Niloticum, hinc vates noster tam emphatice de eo exclamat: ערות על יארר quod alioqui non opus fuisset. De Graeco Synonimo βιβλος idem est sentiendum, siquidem EVSTATHIO auctore, in iis, quae ad XXI. Odyssaeae rhapsodiam concinnauit, βιβλος est planta duplex: *alia papyrus Aegyptia: alia ei affinis et simillima; πάπυρος autem ערות optime exprimit.*

- a) Dedit eam in Disput. de fletu p. 524, §. 15.
 super THAMMVZ, Parti III. b) in Exercitationibus Plinianis
 Obseruation. suarum adiecta, ad SOLINI C. LII. p. 705.

§. XIV.

Numerum secus sentientium claudat interpres LXX. vi-
 ralis Graecus, qui nostrum ערוע transtulit per τὸ ἄχι, vl-
 uam s. caricem. Equidem CYRILLVS, Alexandriae Archie-
 piscopus a) colligit, vocem τὸ ἄχι, esse vsus Aegyptii, quod
 et post eum alii ex Siracide credunt, qui ἄχι, inquit, b)
 ἐπὶ παντὸς ὕδατος καὶ χείλους ποταμῶν πρὸ παντὸς χόρτου ἐκτι-
 λήσεται h. e. *Achi super omnem aquam et oram fluminis ante
 omne foenum euelletur*; scripsit autem haud dubie haec Si-
 racides in Aegypto. Huc accedit, quod τὸ ἄχι, censente
 COCCEIO, c) non sit ab ערוע alienum, quod bis legitur
 in Pandectis S. Gen. XLI, 2, 18. et Iob. VIII, 11. Verum enim
 vero quidquid de eo sit; tamen reiicimus hanc Versionem,
 cum supra a nobis allegata argumenta eam satis superque
 refutent, et, quod Propheta, tam ponderosis verbis vsus,
 non de honestiore ac magis proprio Nili prouentu loqui
 voluerit, quam de carice, vix ac ne vix quidem sit proba-
 bile. Plura si addere vellem, operam haud dubie perde-
 rem, cum pluribus ante me id fecerit VITRINGA l. c. p.
 747. Idem iudicium esto de iis, qui ערות *germina, iun-*
cum, scirpum exposuere, quos vide supra §. V.

- a) L. II. Tomo IV. in Es. p. 286. c) in Lexico suo f. 645.
 b) Sirac. C. XL, v. 16.

§. XV.

Hoc pacto, vti censemus, satis stabiliuimus ac vindica-
 uimus significatum vocis ערות. Perstringamus etiam leui
 brachio reliqua Prophetae nostri verba, quae quidem de
 frutice vtilissimo Aegypti protulit. Nimirum
 על-יאור ait. Per יאור autem non in communi hoc loco
 quemlibet riuum intelligit, vt v. antec. 6. sed in specie Nilum,
 alias נהר מצרים fluuium Aegypti dictum Num. XXXIV, 5.
 2. Reg. XXIV, 7. KIMCHIVS docet נהר et יאור distingue-
 re, quia Exod. VII, 19. et VIII, 1. locum inueniat. Nos ap-
 probamus hoc, et obseruamus: quod vox נהר si absolute
 es

et ἀπλῶς ponatur, Euphratem, יַנּוּךְ vero ei e regione posita, Nilum significet, id quod cuilibet sedulo Prophetæ nostri Lectori non erit incognitum. Illustrabimus hanc obseruationem Exegeticam exemplis. Sic Es. VII, 20. c. VIII, 7. c. XI, 15. Euphrates vocatur נְהַר פְּרָתַי praeter capitis nostri XIX, 5. vbi res patet. conf. Gen. XXXI, 21. Ex. XXIII, 31, et in emphasi Gen. XV, 18. Contra יַנּוּךְ Nilum notare sensu latiori probat c. XXIII, 3. et noster locus, add. Gen. XLI, 1. Exod. I, 22. Ier. XLVI, 7. Hunc fluuium Nilum יַנּוּךְ LXX. interpretati sunt ποταμόν, et recte, siquidem alii Scriptores eodem nomine eum dignantur. AELIANVS Var. Histor. Lib. I. c. 4. de cane Aegyptio infit: ἐκ ἀθρόως, ἔδὲ ἀνέστην, ἔδὲ ἐλευθέρως ἐκ τῆς ποταμῆς, ex fluuio h. e. Nilo, πίνεσι. R. SALOM. ad Gen. XLI, 1. dicit: Aegyptum fuisse יַנּוּךְ יַנּוּךְ fossis frequentem, et aquas Nili in eas exundasse, atque inde Nilum dici יַנּוּךְ. Sunt, qui nomen יַרְדֵּן Iordanis ex יַנּוּךְ et דָּן existimant esse compositum, quasi riuum Dan dicas, quod Geographi tradunt, eum iuxta urbem Dan suum ortum habere, quod tamen obiter obseruamus.

§. XVI.

עַל-פִּי יַנּוּךְ addit vates noster. Haec verba Cel. MICHAELIS in notis ad h. l. vertit: ad *ipsum os Nili*, quod alibi dicitur *labium*, vti Gen. XLI, 3. vbi Pharaon videbat septem macras vaccas stare הַיַּנּוּךְ עַל-שִׁפְרָתוֹ, et Ex. II, 3. vbi filia Pharaonis, facta capsa cannea, Mosē infantem posuit עַל-שִׁפְרָתוֹ הַיַּנּוּךְ ad *labium* seu *os fluminis*. De capite et ore Nili tanta dubitatio fuit apud veteres, vt locum dederit prouerbio, et LVCANVS dicat:

*Arcanum natura caput non prodidit vlli:
Nec licuit populis paruum te, Nile, videre:
Amouitque sinus, et gentes maluit ortus
Mirari, quam nosse tuos.*

H. l. עַל-פִּי יַנּוּךְ egregie Belgica Versio reddit: *Gen de Oeuvers der Stroomen.*

§. XVII.

וְכָל מִזְרַע et *omne semen*. Quaeris, quale intelligat Prophetæ? Lege HERODOTVM L. II. p. 137. qui postquam de
loto

loto verba fecit, alios etiam memorat fluuiorum et paludum prouentus, et inter eas alia lilia, rosis similia. ἐν τῷ ποταμῷ γηγόμενα καὶ ταῦτα in fluuio nascentia, et ipsa, quae describit, quando de biblo annua, aliisque mentionem facit. Et forte tamen rectius cogitamus hic de lino, Aegypti singulari prouentu, iudicat VITRINGA ad h. l. Nos vero latiore sensu accipimus מורע de satis cuiusuis generis; habet enim Aegyptus, omnium terrarum feracissima, σπέρματα πανπολλὰ, vt STRABO testis est L. XVII. p. 566.

§. XVIII.

יבש generatim arefcenti notionem habet. Speciatim et quidem proprie vsurpatur tum de exsiccatione maris Ios. II, 10. et fluuii Iob. XIV, 2. Ps. LXXIV, 15. et cap. nostro XIX, 5. tum de exsiccatione vegetabilium, quae, absumto succo natiuo, omni decore priuantur, vt graminis Iob. VIII, 12. Ies. XL, 7, 8. herbae agri Ier. XII, 4. arboris Ioel. I, 12. Sensus itaque, vti vult VARENIVS ad h. l. absque Geographia haberi nequit. Nimirum foecundatio et vita מורע et ערורע dependebant a Nili inundatione, quae incipit circa 17. Iunii, et 40. diebus crescit, totidem recedit. Quantum igitur creuit Nilus, tantum spei in annum est Aegyptiis. Quidquid autem fluuius non adiit, siccum ac sterile iacet. Et hoc ערורע h. l. obuenturum esse praedicit Propheta. Siquidem Nilum exariturum esse v. 5. 6. monuerat, quod tamen de diminutione, non omnimoda exsiccatione esse intelligendum ex historia probant THOM. AQUINAS in Comm. ad h. l. et IO. COCCEIVS T. II. Opp. Comment. in Es. ad c. XIX, 5. 6. §. 18. f. 285.

§. XIX.

Denique vociferatur Propheta quasi vehementiore spiritu נרף Asyndeton enim quilibet videt. Vix posuerat יבש adiicit נרף. Haec vox autem notat propellere, propulsare. Proprie dispulit instar fumi euanescentis: dicitur enim de vento, qui propellit fumum et alias res leues, quas facile potest tollere et abripere in altum, vt sunt paleae, quisquiliae, stipula et in h. l. semen. In eadem forma et significatione hac voce vtuntur reliqui scriptores sacri, Iob. c. XIII, 25. Prou. XXI, 6. Ps. I, 4. Nos cum aliis peculiarem emphasim obseruamus

mus

mus in voce נִרְרָה, quam vidit quoque interpres Graecus, qui vertit ἀνεμόφθορον a vento corruptum fore semen. Hic enim est vsus vocis נִרְרָה, vt ex allegatis locis apparet.

§. XX.

Ex his explicatis verbis emergit hicce sensus proprius Prophetæ nostri, quo praedicit, magnam in Aegypto suscitatum iri tempestatem, quae Nilum repelleret, riuos et διώγουχος eius propemodum exficcaret, et fructa omnia, qualia קנה גמנה et ערות inprimis erant, et omnes insuper proventus Nili ita frangeret, dispelleret, disiiceret, vt plane perirent atque abolerentur. Sensum mysticum et figuratum in verbis nostris non quaerimus, quippe instituti nostri memores, qui de ערות commentari coepimus. Qui vero hac de re pluribus vult edoceri, adeat VITRINGAM ad cap. hoc XIX. Es. f. 705. sqq. et f. 747. sqq. in Comment.

§. XXI.

Emenso labore Critico, fatisque ex fontibus Ebraeorum enodato nomine ערות, quod Latini papyrum vertunt, vti euicimus; necesse est, vt labores physicos suscipiamus, et de natura ac indole fruticis huius quaedam exponamus, ad quam quidem operam nos vocat

CAPVT II.

DE CONSIDERATIONE PHYSICA
ערות SEV PAPHYRI.

ΣΤΝΟΥΙΣ.

- | | |
|--|--|
| Quaedam circa hoc Caput monentur § I. | Secundo folia § VII. |
| Ante omnia audiendus locus ex Plinio § II. | Tertio caudex seu caulis § VIII. |
| Vnde eruitur definitio papyri § III. | Eiusque substantia interna |
| Additur diuisio in partes integrantes § IV. iuxta anatomiam plantarum a recentioribus praescriptam § V | t. quoad fistulas succiferas § IX. |
| Primo loco explicatur cacumen § VI. | t. quoad tracheas s. poros aëreos § X. |
| | Et externa, vbi exponitur |
| | Figura papyri § XI. |
| | Longitudo papyri § XII. |
| | Cortex papyri § XIII. |

C

Quarto

Quarto medulla s. succus papyri § XIV. Septimo nutrimentum huius fruticis § XVII.

Quinto fibrae lignae caudicis papyracei § XV. Denique semen, quo destitui papyrum docet Plinius § XVIII.

Sexto radix papyri § XVI. Inde transitur ad Caput III. §. XIX.

§. I.

DVm ad delineandam papyri naturam pedem mouemus, duo praemonemus Beneuolum Lectorem, primo, nos limites a Iesaja nobis positos, haud quaquam esse migraturos; Quum itaque ille de Aegypto agat, nos quoque non nisi de papyro Aegypti celeberrima verba esse facturos, quantumuis alibi quoque papyrus extiterit; deinde nos omnem de hac materia certitudinem probabilitate historica esse confirmaturos, quippe cum aliter rem hancce intricatam explicare nequeamus.

§. II.

Agedum L. B. audias, quaeso, omnium primo, quomodo PLINIUS in Hist. Nat. L. XIII. c. XI. T. III. Sect. XXII. p. 79. Edit. FRANC. MUGVET, Paris. 1685. nobis describat papyrum. Papyrus, sic habent eius verba, nascitur in palustribus Aegypti, aut quiescentibus Nili aquis, ubi euagatae stagnant, duo cubita non excedente altitudine gurgitum, brachiali radice obliquae crassitudine, triangulis lateribus, decem non amplius cubitorum longitudine in gracilitatem fastigatum, thyrsi modo cacumen includens semine nullo, aut usu eius alio, quam floris ad Deos coronandos. Radicibus incolae pro ligno utuntur: nec ignis tantum gratia, sed ad alia quoque utensilia vasorum. Ex ipso quidem papyro nauigia texunt: et e libro vela, tegetesque, nec non et vestem, etiam stragulam, ac funes. Mandunt quoque crudum, decoctumque, succum tantum deuorantes. Haecenus Plinius.

§. III.

Papyrus itaque Aegyptia est frutex ille Nili, qui caudice triquetro, quatuor cubitorum alto, et in multas membranulas secabili, foliis gladiolo quoad acumen similibus, sine semine, et sine fructibus, ex littore procrefcit, infra terram autem radices decem cubita longas agit, ad varios usus victus et amictus Aegyptiorum.

§. IV.

§. IV. *ibidem*
 Diuisionem papyri, quod attinet, SALMASIVS, vir magni nominis, deque PLINIO emendando immortaliter meritis, papyrum diuidit in *communem s. vulgarem*, et *excellentem s. Niloticam*, prouti supra ad Cap. I. §. XIII. iam obseruauimus. GVILANDINVS pariter papyrum dupliciter diuidit. Papyrus, inquit, est duplex, *vna*, quae proprie vocatur biblus Aegyptia, non nisi in Aegypto et India Straboni nascens: *altera*, quae extra Aegyptum in Italia etiam gignitur, et a THEOPHRASTO *Sari*, ab EVSTATHIO *biblus altera appellatur*, de quo supra ibidem dictum est. Nos quidem in praesens huic diuisionis explicandae labori supersedebimus; satis enim nobis videtur partes omnes, ex quibus papyrus nostra, quam vates per ערית intellexit, componitur, in quasue diuiditur, adduxisse.

§. V.

Quumque papyrus nostra merito ad plantas referatur, volupe est anatomiam quasi quandam huius fruticis, siue, qui eum ita nuncupare malit, huius plantae instituire. Ad hanc vero methodum egregia cum laude glaciem nobis fregere recentiores Philosophi. Primi quidem anatomiam plantarum tradiderunt MARCELLVS MALPIGHIVS, Italus, a) et NEHEMIAS GREW, Anglus. b) Eandem vltius excoluit ANTONIVS van LEEWENHOECK ac Celeberr. WOLFFIVS in Philosophia sua Experimentalis, quam eandem per anatomiam foliorum perfecisse legitur THVMMIGIVS. c) Praeclarum hunc ordinem, praeclaram hanc plantarum in partes integrantes diuisionem nos quoque sequemur.

- a) in anatome plantarum, quae idea historiae philosophicae de Partibus II. constat, I. prodiit plantis et variis lectionibus aliis Londini 1675. II. vero 1680. *ibid.* edita Londin. 1682. fol. 320.
 b) in anatomia plantarum, cum c) in Act. Erudit. A. 1722. p. 24.

§. VI.

Primum vero hic merito sibi vendicat locum *cacumen* papyri. Frutex videlicet hicce spissam panniculam in summitate habet, h. e. densa et opaca coma gaudet, et cacumen
 C 2 gracile

gracile ac acutum includit, denique vero in conum definit, qualis in acantho, a SALMASIO p. 380. l. c. adpicto, adparet. Hanc papyri summitatem STRABO *χαίτην* adpellat, quando papyrum *χαίτην ἐπ' ἄκρην* habere tradit; PLINIVS vero figuram thyrsi, quandoquidem *papyrum*, ait, *est in gracilitatem fastigatum, thyrsi a) modo cacumen includens* l. c.

a) Thyrsorum non est vna figura in antiquis monumentis. Aliis 1) *veluti globus* impositus conspicitur. Hinc, quod THEOPHRASTVS in Colocasia siue Faba Aegyptia *κωδίου περιφερές* i. e. caput rotundum, globosumque, vocauerat, quodque DIOSCORIDI *σφημίον ἢ σφυσκίον* dictum, PLINIVS L. XXI, c. XV. aperte thyrsum nuncupat, quod bene obseruat GVILAND. l. c. p. 218. n. 23. Ex quo cernere est, quod PLINIVS per *thyrsinum caput, rotundam ac densam comam* intelligat. In THEOPHRASTO autem, ex quo PLINIVS omnia hausit, nec vola nec vestigium de eo occurrit. Alii thyrsos 2) pro *caulibus* plantarum acceptarunt. SERVIVS ad XII.

Aeneid. *caulem*, medium fruticis, qui vulgo thyrsus dicitur, adducit. Alii denique 3) pro *acie gladii*, Baccho destinati. Hinc legitur III. Macc. VI. Indaeos agitando Bacchanaliorum solemnia, coactos fuisse ab Antiocho, hedera coronatos Baccho pompam ducere, *γενομένης δὲ Διονυσίων ἑορτῆς, ἠναγκάζοντο οἱ Ἰεδοῦοι θυρσοὺς ἔχοντες πομπεύειν τῷ Διονύσῳ*. Cuius Dei telum esse thyrsum, hedera obuinctum, testatur MACROBIVS L. VII. Saturnaliorum cap. I. Ex quo adparet, *thyrsi cacumen ex acuto vertice* et minaci summitate omnibus timendum fuisse. CA'GVLL. in Argonauticis:

*Horum pars tecta quatiebant
cuspide thyrsus.*

§. VII.

Folia papyri iuxta VESLINGIVM ad Prosp. Alpin. de plantis Aegypt. c. 36. circa vtrumque scapi extremum, inferius ampliora sparganii a) *cuperiue* instar sunt repanda: superne minora, quem radiatum veluti calicem innascenti iubae b) *subiiciunt*. GVILANDINVS vero p. 222. vult folia typhae c) *palustri* esse similia, siue vt dicit Elkai (sunt verba GVILANDINI) in libro de simplicibus medicamentis, duobus locis c. 147. et c. 547. *gladiolo, minime tamen acuta, sed obtusa*. De his foliis EDVARDVS LEIGH in Crit. S. N. T. p. 60. ad vocem *βίβλος* commemorat, veteres non-

nun-

nunquam in iis scripsisse, de quo altum apud alios silentium.

a) *Sparganium* medicis est notissima herba, vulgoque Schwertel-Kraut a figura cognominatur. *Cyperus* vero est species iunci odorati. Hoc nomen VARRO R. R. III, 16. COLV-MELLA XII, 20. aliique in genere neutro vsurparunt. PETRONIVS c. 127. canit.

Emicucere rosae violaeque et molle cyperon.

Vetustissimi Graeci *κῦπειρον* semper dicunt, THEOPHRASTVS, THEOCRITVS aliique. Graeci posteriores *κῦπερον* maluerunt scribere, inter quos DIOSCORIDES et PLINIVS, qui *κῦπερον* vertit cyperum. Quid vero proprie per cyperum intelligatur, variae prostant sententiae. Quidam ex antiquis Grammaticis 1) *siler* esse interpretati sunt; alii 2) *gladiolum*, ab acumine scilicet foliorum dictum. Nobis per placet SALMASII iudicium, quod est: aut vno eodemque nomine *κῦπειρον* duae diversae plantae vocatae sunt, quod non mirum est; aut certe Latini

κῦπειρον illum Graecorum gladiolum vocitarunt, quod folia gladiola similia haberet. Longa sane et acuta habet folia, vt non male parui gladii imaginem referant. Quod ad nomen ipsum attinet, nulla est differentia inter *κῦπειρον* et *κῦπερον*, quod pluribus probatur in Exercitatt. Plin. f. 703. Sed haec obiter. Ex his omnibus vero efficitur, VESLINGIVM h. l. nos velle condocere, folia papyri esse gladiolo similia, quoad acumen.

b) Per *iubam* sine dubio comam s. cacumen papyri intelligit, quod §. antec. descripsimus.

c) *Typha* Graec. *τύφη* est planta, quae crevit in paludibus, stagnis et lacubus Italiae, tulitque clauos referente DIOSCOR. III, 124. Germani vertunt: Kolben-Rohr, quod, quandoque papyri antiqui vsus indigeat, eius loco substitui posse idem suadet GVILAND. p. 248. siquidem nusquam non in aquosis Europae locis inueniatur.

§. VIII.

Cacumen excipit *caulis* s. *caudex* papyri, qui ex radicibus assurgit, et folia cum ramis sustentat, succumque nutritium ex radice singulis aduehit. Hunc describamus, oportet, tam quoad substantiam internam, quam externam.

§. IX.

Substantia eius *interna* multis procul dubio gaudet fistulis succiferis, et tracheis seu poris aethereis. Fistulae succiferae a medullae centro versus peripheriam caudicis

vsque ad corticem excurrunt, quae instar venarum transversim sectae succum effundunt, iuxta morem ceterarum plantarum, quod THVMMIGIVS erudite obseruat in Institut. Philosophiae Wolffianae T. I. Part. IV. de plantis s. vegetabilibus c. 1. §. 275. et 277. idque ex GREW Anatomia plantarum, qui Figuras addidit Tab. LI. LII.

§. X.

Tracheae s. pori aërei concavant papyrum, et spongiosam ac fungosam eius reddunt substantiam. Quae omnia GVILANDINVS l. c. p. 206. vbi scapum ac stirpem, h. e. caudicem papyri describit, confirmat. Digna sunt eius verba, quae hic legantur. *Est scapus, inquit, ex rara et fungosa substantia constitutus, cuius hiantes et laxae interius cavitates copioso humore explentur, qui simul atque evanuit, tota caulis crassities concidens, redditur multo, quam erat, tenuior ac subtilior.* Et rursus alio loco p. 360. vbi explicat, quid per fungum papyri debeat intelligi, nempe scapus, h. e. caudex papyri, a quo philurae abripiuntur, qui multis vbique inanitatibus instar fungorum hiet.

§. XI.

Substantiam externam caudicis papyracei PLINIVS noster l. c. describit a figura et longitudine. *Figura externa* dicitur triangularis, quod etiam affirmat VESLINGIVS l. c. Hinc enucleator papyri magna exemplorum farragine refutat ARISTOTELEM, qui Lib. XVI. Problem. 8. negat, vllius plantae caules truncosue forma triangulari aut multiangulari constare. Idem VESLINGIVS papyrum habere caulem numerosum l. c. ait, vnde causa fortassis adparet, cur vates noster in numero plurium clamet: ערור

§. XII.

Longitudo huius caudicis triangularis a PLINIO decem cubitorum esse dicitur. At vero SALMASIVS ad SOLINI Polyhist. p. 379. eum hallucinatum esse laudabiliter animaduertit. *Nulla est, inquit, in verbis Plinii transpositio, ut putat Guilandinus, sed hallucinatio Plinii, qui radicis longitudinem papyro ipsi, i. e. cauli tribuit.* Atqui Theophrastus radicem 10. cubita longam facit, papyros ipsos μέγεδος ὡς τετραπήχεις, 4. cubito-

1472

rum longitudine. Sed ille haec miscuit et confudit iure suo ac more perpetuo. Quod etiam verosimile videtur, cum cacumen pro suo lubitu explicauerit PLINIUS, et cum fruticem 10. cubitorum proceritatem attingere vix sit probabile, alioquin enim non frutex, sed arbor esset. Notandum tamen, quod VESLINGIUS speciosam proceritatem 7. cubitorum papyro tribuerit.

§. XIII.

Sed nec praetereundus est ipse *Cortex* papyri, quem nunc cutem, nunc corium vocat Plinius. Hic fuit lenis, glaber, et admodum tractabilis ac flexibilis, id quod exinde colligitur, quoniam nauigia, vela, vestes ac funes, et quae sunt reliqua, ex eo contexta referuntur, de quo pluribus in Cap. seq. nostrae Dissertat. differendi locus erit.

§. XIV.

Medulla a) s. *succus* caulis Nili accolis ad manducationem inferuiebat. Succus ille, quem mandunt, iuxta VR-SINVM in Arbor. Bibl. p. 159. aut est, quod dicunt, saccharum, aut simile, vt et papyrus annumeratur arundinibus saccharinis, quibus in Aegypto nihil esse frequentius ait BELLONIVS L. II. Obseruatt. c. 34. Quin et Indicae cannae, quibus delicatiores pro scipionibus vti solent, et folia illa, quibus saccharei, vt vocantur, panes, Zuckerhüte, inuoluuntur, delati ex insulis Diui Thomae et aliis, de papyri genere esse dicuntur, vt notat MATTHIOLVS in Dioscorid. L. I. c. 98. De saccharo veterum et nostro vid. THALMVTH. in Nou. Repert. Tit. V.

a) quae in aliis plantis est congeries vesicularum minorum, niuis albedinem aemulantium, iuxta WOLFFII Obseruatt.

Microscopicas in Philosophia Experimentalis. conf. THVM-MIGIUS p. 340. in Instit. Phil.

§. XV.

Fibrae lignae caudicis papyri, sunt fasciculi plurium minorum stupendae prorsus exilitatis. Hinc etiam in multa frustula, in multas membranulas secabilem descripsimus papyrum, quod confirmat PLINIUS de confectura chartarum. *Praeparantur, inquit, ex papyro chartae, diuiso scapo in praetenuas, sed quam latissimas philuras. Principatus medio, atque*
inde

inde scissurae ordine. Nunquam autem plures scapo philurae, quam vicenae. l. c. Quod si itaque caudex vnius fruticis papyracei in viginti membranulas seu philuras diuidi potuit, quod *acu fecisse* testantur quidam Codd. Plinii; exinde procliue dictu est, fibras ligneas papyri tenuitatis mirificae fuisse. *Acu* autem has fibras et haec ramenta esse dissecta; vix videtur probabile, quantumuis MONTFAVCON in Antiquitat. Rom. T. III. P. II. L. V. c. 5. p. 352. eandem amplectatur sententiam. Vero magis congruum est GVILANDINI *αυτόπτε* iudicium, qui censet ad h. l. opus fuisse ferro acutissimo subtilissimoque, tres digitos lato, quo ramenta s. philurae a scapo diuelli potuerint, *acu eam ad rem nihil emolumenti praestante, sed inutili prorsus abiiciendaque.*

§. XVI.

Radice papyri quod attinet, ea est multiplex, vt in reliquis fruticibus. Merito autem diuiditur in *rectam* et *obliquam* ab eruditissimo SALMASIO. Radix *recta* dicitur aequare crassitudinem brachii humani, et longitudinem 10. cubitorum, vt supra monitum hoc Cap. §. XI. *Obliquae* vero, quae ex *recta* radice prodeunt, atque in limum emittuntur, sunt partim tenues, partim densae. Et sic recte emendauit PLINIVM in radice explicanda obscurum. Namque ille l. c. papyrus brachiali radice obliquae crassitudine ex Nilo ascendere narrat, cum tamen THEOPHRASTVS, ex quo haec hausit rerum naturalium infelix conditor, dicat: *πάχος μὲν ἐν τῆς ἰσῆς καρπὸς ἀνδρὸς ἐυρώσε* h. e. *radicis crassitudo est vt καρπὸς hominis robusti.* Καρπὸς autem, SALMASIO iudice, notat non tam brachium, puta pulpam iuxta cubitum, quam potius primam partem palmae, ut CELSVS loquitur.

§. XVII.

Nutritum ac vegetatio papyri fruticis in primis repetenda est ex aqua Nili fluminis, id quod iudicatu inde facillimum est, quoniam papyrus, aestu solis sicca, et ad tendendum inhabilis facta, admota aqua tractabilior fuit reddita. Praeter aquam autem ad eiusdem nutritum terram eiusque salem ac sulphur non paucum attulisse, inde constat,

stat,

stat, quia ex litore procrefcit, et eius radices obliquae in finum terrae emittuntur. Succum vero nutritium non modo a radice per caulem in folia, fed et a foliis per eundem caulem deorfum in radicem moueri laudabiliter obferuauit MAIOR, Prof. Kilonienfis in *Diff. de planta monftrofa Gortorpienfi*, et pluribus experimentis confirmarunt PERRALTIVS in *tentamine de circulatione fucci nutritii*, nec non MARIOTTVS in *tentamine de vegetatione plantarum*.

§. XVIII.

Denique quod *femen* plantarum attinet, noftrae aetatis Philofophi, tantum non omnes, cunctis plantarum generibus *femen* attribuunt, quod recentiffimo MALPIGHIVS experimento oftendit, vid. WALCHIVS in *Lex. Philofoph.* p. m. 1962. Atvero de papyro noftra expreffis verbis PLINIVS *eam nafci fine femine* afleuerat, quod et eius Commentatores non inficias eunt. Hinc etiam flores ac fructus ex papyro fruftra quis exfpectabit.

§. XIX.

Et haec fufficiant de natura ac partibus papyri, vbi verba noftra nemini obtrudimus, fed cuius limatioris iudicii ingenio ad ulteriorem difcuffionem relinquimus; nos in hac quoque parte alterius inftitutionem vltro flagitamus. Sed pergendum nobis eft ad

CAPVT III.

DE CONSIDERATIONE HISTORICA

פפירוס SEV PAPHYRI.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Multi hiftoriam plantarum fcripferunt §. I.

Hoc Caput III. etiam eft mere Hiftoricum §. II. et tria exponit de papyro, nempe hiftoriam

I. Natiuitatis f. ortus, qui eft ad Nilum papyrififerum §. III. quod probatur ex Hiftoriographis §. IV. non autem demum

tempore Alexandri M. qui Aegyptum cepit, et Alexandriam condidit, papyrus fuit cognita, fed ante, §. V.

II. Vtilitatis, qui campus eft ampliffimus §. VI. utilis autem fuit papyrus

1) ad indumenta corporis f. veftes §. VII.

D

2) ad

- 2) ad chartas faciendas, ubi exponitur modus chartas ex papyro faciendi §. VIII.
 Unde ἐπιστολῶν βιβλικῶν §. IX.
 Et diplomata ac libri papyrei hodiernum superstites §. X.
 Erant etiam notae boni papyri, ex papyro frutice confecti §. XI.
 Exteri quid cum papyro Aegyptiorum fecerint §. XII.
 Et inde nostram chartam scriptoriam inuentam esse haud inepte a multis colligitur §. XIII.
 Officina illa papyracea Aegypti, quando desierit, docetur §. XIV.
- 3) ad texendum
 α) cophinos §. XV.
 β) nauigia §. XVI. illustratur hoc arcula Moysi, quae utrum Christum praefigurauerit? quaeritur §. XVII.
 γ) funes, veta tegetesque §. XVIII.
- 4) ad edendum, non aeque ad bibendum §. XIX. Unde quinam sint papyrophagi? §. XX. non ad bibendum; ubi quaeritur: quid sit vinum biblinum? §. XXI.
- 5) ad armaturam nauticam §. XXII.
 6) ad calceos sacrificulorum s. flaminum §. XXIII.
 7) ad coronandos Deos §. XXIV.
 8) ad strata quoque varii generis §. XXV. qualia sunt
 α) ceruicalia §. XXVI.
 β) tori mortuorum farciendi §. XXVII.
 9) ad ignem.
 t. in caudelis §. XXVIII.
 t. in calefaciendo §. XXIX.
- Nec hoc mirum esse, illustratur igne honoris, Carolo V. accenso ib.
- III. Operariorum aliorumque quastum ex papyro quaerentium §. XXX. Inde transitur ad Cap. IV. §. XXXI.

§. I.

Multi haud perfunctoriam in conscribenda de plantis historia operam industriamue collocarunt, siue respiciamus veteres, siue recentiores. Ex veteribus procul dubio THEOPHRASTVS eminent ac PLINIUS, ille quidem in historia de plantis, hic in historia naturali. Ad recentiores autem merito referuntur 1) VLYSSES ALDROVANDVS in Opere, quod de dendrologia concinnauit, quodque ob raram eruditionem aliquot vicibus prelo fuit recusum. 2) Clariss. DEDV, qui de l'ame des plantes, essais de Physique Paris 1682. 12. edidit, ubi doctissimus auctor sententiam de generatione plantarum per ouula seminis, quae in ceteris animalibus deprehenduntur, acerrime propugnauit. 3) Addendus est IO. RAIUS in historia plantarum, cuius Pars I. Londini 1686. fol. Pars II. vero 1688. lucem adspexit,

xit, et 4) GEORGIUS A TVRRE in historia plantarum, Batau. 1685. fol. vt aliorum recensionem h. l. omittamus.

§. II.

Hoc tertium Caput nostrum pari ratione mere est Historicum, omnia enim, quae de ערוֹת h. e. papyro memoratu digniora sunt visa, complectitur. Maximam autem eius partem enarratio utilitatis absoluet. Vt vero eo melius Lectori de ordine nostro constet; trademus initio historiam *natiuitatis*; deinde historiam *utilitatis*; denique etiam historiam *operariorum*, aliorumque, quae sum ex papyro et victum quaerentium adponemus.

§. III.

Historia NATIVITATIS originem et ortum papyri nobis commemorat. Vbi autem papyrus nascatur ex capitibus antecedentibus iam potest intelligi. Obseruauimus enim Cap. I. §. X. quod papyrus in Syria, nec non circa Euphratem, rursus in Chaldaea, teste GVILANDINO, olim fuerit inuenta; optima vero ac praestantissima papyrus prope Nilum progerminauit, quod vates noster liquido nos edocuit supra, cum exclamaret ערוֹת על יארֹו ibid. §. XV.

§. IV.

In eadem veritate veteres Historici nos confirmant. PLINIUS enim supra l. c. expressis verbis dixit: papyrum nascitur in palustribus Aegypti, id quod THEOPHRASTVS longe ante eum prodidit. Et VESLINGIUS ad Prosp. Alpin. c. 36. scribit: *papyrum assurgere ab arundineis fibrosisque radicibus circa Nili stagnantis ripas*. Quid? OVIDIUS, Nilum κατ' ἐξοχήν papyriferum vocans, canit Trist. L. III Eleg. X. v. 27. ita:

Ipsa papyrifero qui non angustior amne,
Miscetur vasto multa per ora freto.

§. V.

Nemo autem sibi persuadebit, papyrum fruticem demum tempore Alex. M. quo Aegyptum occupauit, et Alexandriam urbem condidit, annos circiter 330. ante C. N. in Aegypto fuisse repertum, vti quidem M. VARRO credidit, quod idem fatetur AVGVSTINVS de C. D. L. VI. a cuius sententia

D 2

quoque

quoque EVSTATHIVS ad XXI. Odyſſeae Rhapsodiam non abhorruit; quin imo eandem opinionem LAVRENBURGIVS in Acerrae ſuae Centur. III. Hiſt. 50. tuetur. Sed falſo. Papyri enim vox vetuſtiſſimis Graecorum ſcriptoribus fuit notiffima. Eſſe ex antiquiſſimis ANACREONTEM, lyricorum Carminum ſcriptorem longe ſuaviſſimum, ſatis liquet teſtimonio HERODOTI et PLATONIS, qui in Phaedro eum σοφῶν etiam nomine dignatus eſt; hic de ſemet ipſo loquens, haec protulit verba:

Ἐπὶ Μυρσίνας τερένας,	<i>Teneris ſuperque myrtis,</i>
Ἐπὶ λωτίναις τεποίαις	<i>Super et virente loto</i>
Στορέσας δέλω προπίνειν	<i>Recubans bibam libenter:</i>
Ὁ δ' ἔρωσ χιτῶνας δήσας	<i>Religatus at papyro</i>
Ἵπὲρ αὐχένου παπύρω	<i>Tunicam, cupido collo</i>
Μέθυ μοῖ διακονεῖτω, i. e.	<i>Mihi poculum miniſtret,</i>

vti HENRIC. STEPHANVS vertit. Nauium papyracearum, et arculae Moſis, ex papyro ſine dubio longiſſime ante Alexandrum factae, nullam iniiciemus mentionem. Plura vide ſis apud GVILANDIN. Membr. II. p. 32. et ſqq.

§. VI.

Venio nunc ad vberriſimum campum VTILITATIS papyri. Obſtupescat ſane, quiſquis audiat, aut legat commoda, quae ex papyro frutice ad Aegyptios redundauerunt. Nos breuiſſimis, quantum eius fieri poterit, vtilitates varias papyri recenſebimus, quippe cum nos in eo THEOPHRASTVS apud BOCHARTVM Hieroz. P. I. L. II. c. XXXIV. f. 342. confirmet.

§. VII.

Vtilis autem fuit papyrus pro variis, ex quibus conſtabat partibus,

I. AD VESTIENDVM ORNANDVMVE CORPVS. Hinc BVXTORFF. in Lex. Chald. Thalmud. et Rabbin. p. 1780. ad vocem פפיר ex cortice, inquit, in tenuiſſimas plagas ſoluto, fiebant tegumenta, quae imponebantur mortuis in Beres. Rabb. Sect. XXXVII. Sic in Talmud. Hieroſol. Maſſech. Sota cap. ultimo in fine: הוּא עוֹשֵׂה הַתְּפִילִּיּוֹת faciebat ipſe papyraceas ſc. veſtes. Gloſſam addit BVXTORFF. I. c. hancce: ſpecies herbae eſt (papyrus,) quae cortices habet, et faciunt ex ea veſtimentum ad ornatum.

§ VIII.

§. VIII.

II. AD CHARTAS FACIENDAS, ET INDE AD SCRIBENDVM. Egregie modum nobis exponit saepe laudatus GVILANDINVS I. c. p. 321. Philurae f. pagellae erant a caule papyri distractae, ex quibus, alteris recto situ substratis, et alteris transversa positione superiniectis, chartae conficiebantur, vel, vt PLINIVS ait, texebantur, praebente glutinis vicem Nili aqua, non illa clara et limpida, sed turbido liquore, ac pingui terrarum succo coinquinata. Et p. 324. pergit: porro autem textae siue compositae ad eum, quem dixi, modum, pagellae statim supponebantur prelis, et valide comprimebantur, vt redundans aquae humiditas emanaret atque defueret, quod auctor, PLINIVS, siccare appellat, demumque in umbra arefiabant. Ad extremum malleo complanabantur chartae, quae que diuturniores esse debebant, bis glutine attractabantur, et malleo bis tundebantur. Asperitas vero papyri laeuigabatur dente conchaue, et sic litterae calamo superscriptae combibebantur.

§. IX.

Inde notae sunt ἐπιστολαὶ βιβλιναί, quas LXX. ad caput XVIII. Ies. v. i. commemorant, vbi vasa papyri leguntur. Interpretatur autem GVILANDINVS I. c. p. 243. illas ἐπιστολαὶ βιβλιναί per ἐντολαὶ βιβλιναί i. e. mandata in chartis descripta. Pari modo inde etiam βιβλα, et βιβλία, libri ex papyro seu biblo conuoluti, notissima sunt Graecorum nomina. Conf. THEOPHRASTVS de Hist. plant. L. IV. c. 19.

§. X.

Prostant etiamnum hodie diplomata, prostant et libri ex papyro facti, sed rari, quales Celeberr. MONTFAVCON vltro citroque vidit variis in locis et obseruauit. Sic refert, in Chartulario S. Dionysii in Francia adesse diploma graecum papyreum, quod nobis in *Palaeographia Graeca* p. 15. publicauit. Ibidem pergit: in hoc chartae genere scriptum est *Euangelium* S. Marci Venetiis, sed valdopere putrida sunt eius folia; *Iosephus* in Bibliotheca Ambrosiana Mediolanensi, papyreis foliis descriptus, longe meliori est conditione. Sed singularissimus, et ipsa foliorum integritate prae-

stantissimus omnium liber papyreus *Epistolae S. Augustini* esse dicuntur. Nam ii, qui hunc librum scripsere, cum materiae fragilitatem compertam haberent, post quaterna vel quina papyrea folia vel vnum vel duo membranacea folia interferuere, in quibus scripturam continuarunt, quo factum est, vt papyrea folia integra manserint, sic loquitur vir incomparabilis in *Antiquit. Rom. T. III. P. II. L. V. c. 5. p. 351. sq. Binos libros* Latine scriptos papyreos memorat quoque MABILLONIVS de re diplomatica L. I. c. 8.

§. XI.

Habebant etiam Aegyptii certas notas bonarum chartarum ex papyro confectarum, nempe, si vel scabriores glabriorue essent, vel hausto liberalius Nili humore, negligenter ficcatae essent, malleo, odore, et oculis illud deprehendebatur, quandoquidem, si quis folium chartae ad solis lumen obuertisset, non difficile erat, latitantes inter philurarum compactiones, seu coniunctiones, maculas conspiciere, ceteroqui cognitu obscuriores, tum ob fungosam, bibulamque papyri bracteam, quae humorem laxitatibus suis occultabat, tum quia praesentiam suam non fatebantur, nisi ob lituram, delendi expungendique proposito inductam, vt GVILAND. autor est p. 359.

§. XII.

Quae chartae a confectoribus in Aegypto negligenter exsiccatae fuerant, eae apud gentes exteras nouo labore retextebantur, quae, quia destituebantur Nili aqua, accipiebant pro glutine, tenuissimum farinae tritici pollinem, feruente aqua, minima aceti aspersione perfusum temperatumque. At vero sic ad fragilitatem vsque durecebant, nec tuto ad conuoluenda et complicanda volumina adhibebantur, teste DALECHAMPIO in Plin. ad h. l.

§. XIII.

Et inde natales suos nostras chartas, ex variis linteis, et laceratis panniculis productas, traxisse, haud inepte cum ex nomine eius, tum ex paritate modi, eam conficiendi, colligunt rerum inuentarum conditores. DALECHAMPIVS l. c. et SALMVTH. PANCIROLL. in Nouis Repert. Tit. XIII.

XIII. hodie, aiunt, ob strenuam incolarum inertiam aliunde aduectis chartis, ars haec Aegypto natales tantum suos, non aestimationem debet, add. VRSINVM in Arbor. bibl. p. 158. qui et VESLINGIVM et GVILANDINVM his merito adiungit. Diuinum fane inuentum est papyrus, s. charta nostra scriptoria, et videtur inuentor ab Aegyptiis inuentionem accepisse. MONTEAVCON autem nostram chartam ad bombycinam in similitudine ex detritis pannis confici coepisse affirmat in *Antiquit. Rom.* l. c. p. 353. et in *Palaeographia Graeca* L. I. f. 13. sq. Sed cum adhuc sub iudice lis sit, nostrum fane haud est tantas componere lites, praesertim cum de $\pi\alpha\pi\upsilon\rho\varsigma$ scribamus, non de charta nostra moderna.

§. XIV.

Officina illa papyracea Aegypti desit cum Sec. VII. quo Aegyptus in potestatem Arabum deuenit, vti scribit paulo ante citatus MONTEAVCON in *Palaeograph.* p. 19. quod probat ex EVSTATHIO, qui ad HOMERÏ Odyss. ϕ' . iam eo tempore chartae Aegyptiacae conficiendae artem desisse memorat, clare enim de Aegyptiis sui temporis EVSTATHIVS $\omega\upsilon$ ait, η τέχνη ἀρτι ἀπήλειπται. Inde inualuisse morem scribendi in charta bombycina. Sed persequamur et reliqua. Papyrus frutex

§. XV.

III. AD TEXENDVM etiam adhibebatur. Texebantur autem hinc N. primo *cophini* s. corbes, ad vuas e vineis colligendas apprime vtilis. Huius rei fidem ex Hebraeis confirmat BVXTORFF. in Lex. l. c. p. 1781. *Fiebant, inquit, et inde (ex papyro videlicet,) vasa texta instar corbium, quorum usus fuit in vineis, Kelim. c. XVII.*

§. XVI.

2. deinde *naugia*, non quidem oneraria, sed leuia, ac si ita loqui liceat, volatilia. Horum meminit PLVTARCHVS de Isid. et Osir. f. 358. qui Aegyptios $\epsilon\nu$ $\pi\alpha\pi\upsilon\rho\iota\nu\sigma\iota\varsigma$ $\sigma\kappa\acute{\alpha}\phi\sigma\iota$, in *papyrinis nauigiis* vectos esse ait, quemadmodum apud eundem Isis $\beta\acute{\alpha}\rho\iota\delta\iota$ $\pi\alpha\pi\upsilon\rho\iota\eta$, lembo papyraceo paludes pernaugasse dicitur, et PLINIVS Lib. VII. c. 22. vbi eadem appellat naues papyraceas, quas etiam STRABO L. XVII.

L. XVII.

L. XVII. habet. Clarius autem C. PLINIVS alibi ait: *in Britannico Oceano vitiles (sc. naues) corio (i. e. cute papyri) circumfutaе fiunt in Nilo, ex papyro, et scirpo, et arundine.* L. VII. c. 56. Vitilem ex vimine nauem nobis depingit LVCANVS L. IV. de Bell. Ciu.

Canna salix madefacto vimine paruum
 Texitur in puppim, caesoque induta iuuenco,
 Vectoris patiens, tumidum superenatat amnem.
 Sic Venetus stagnante Pado, fusoque Britannus
 Nauigat Oceano: cum tenet omnia Nilus,
Conferitur bibula Memphitis cymba papyro.

Plura de his GYRALDVS de nauigiis c. VII. affert. conf. BELLON. L. II. Obseruat. c. XXX.

§. XVII.

Illustrat praeterea naues papyraceas, ipso fatente GVILANDINO l. c. p. 243. Mosis adhuc infantis in aquam abiectio, quippe quem ἐν θίβη παπύρου i. e. in fiscella papyracea, vel, vt vulgata Editio habet, scirpea, ad Nilum, Aegypti fluuium, expositum fuisse, legitur Exod. II. IOSEPHVS L. II. Archaeologias c. 5. describens arculam, in qua Moses in Nilum depositus fuerat, vocat eam πλέγμα βιβλινον ἐμφορὲς τῆ κατασκευῆ κοιτίδι, i. e. *texturam papyraceam, similem compagi cunae.* Huic IOSEPHO adstipulatur CLEM. ALEXANDRIN. L. I. Stromatum, in haec verba scribens: ἐκ βίβλου τῆς ἐπιχωρίως σκευὸς ποιησόμενοι, τὸν Μουσῆν ἐνθέμενοι. Quod itaque CLEMENTI est σκευὸς, et IOSEPHO πλέγμα, LXX. simpliciter θέβην appellauerunt. Num vero haec arcula *Mosis Christum*, in praesepio cubantem, *praefigurauerit?* alia est quaestio; meo quidem iudicio typi in Christum, praefertim tacente ipsa Scriptura, coaceruandi non sunt, ne tandem, nescio quis sensus, sacris oraculis affingatur. Porro

§. XVIII.

3. Tertio ex papyro etiam texebantur *funes, vela, tegetesque*, sed non nisi ex humido libro seu cortice papyri. SALMASIVS, cuius nomen in orbe litterato magnum est, l. c. p. 706. papyrum cum φλω, seu scirpo comparans, hanc veritatem immiscet: *ex cortice interiore, siue libro, funes, vela*
 et

et cetera texebantur. Recte itaque PLINIUS l. c. inquit : post hanc papyrum est extremumque eius scirpo simile, ac *ne funibus* quidem, nisi in humore utile.

§. XIX.

IV. AD EDENDVM, NON AEQVE AD BIBENDVM Aegyptiis inferuiebat succosa papyrus. Hanc in rem HERODOTVS L. II. in Euterpe affirmat : quod pars papyri inferior, longitudine cubitali in cibos veniat, et venundetur. Omnes certe incolae papyrum fruticem et *crudum*, et *elixum*, et *assum* manducabant, et *succum deuorabant*, manducamentum autem exspuebant, vt loquitur GVILANDINVS l. c. p. 48. Addit ibidem §. 27. testimonium HERODOTI, quod, si qui papyro admodum suauiter frui cupiant, in luculento furno torrefactum ita comedant.

§. XX.

Vnde facile apparet, quinam sint *papyrophagi*? Videlicet papyrus, et ex ea panem comedebant Aegyptii, ideoque papyrophagi sunt dicti a Scholiaste AESCHILI; fructu papyri et radice etiam vesci solitos fuisse Aegyptios, licet cibo exigui nutrimenti, narrat Eben-Seraphion simplicium capite 101. quod tamen quoad fructum negamus, vi Capitis nostri II. §. 17. et 18. Siquidem DIOSCORIDES L. I. c. 125. tantum ἀποχυλίζοντας καὶ ἐκπτύοντας τὸ διαμάσσημα, *succum* exsugentes et reliquum commansum exspuentes describit, conf. Celeberr. HILLERVS in Hierophyt. suo P. II. c. XXXVIII. vbi de papyrophagis plura tradit.

§. XXI.

Quod vero diximus, papyrus non aequae ad bibendum fuisse vtilem, id ideo fecimus, vt explicaremus, *quid sit vinum biblinum*? Supra statim Cap. I. §. 13. obseruauimus, certo sensu βίβλον et πάπυρον Synonima esse, quaeritur ergo: num illud vinum biblinum sit idem ac vinum papyraceum, h. e. per torcular ex fungosa et succosa substantia papyri expressum? Vini huius mentionem facit HESIODVS L. II. ἔργων καὶ ἡμερῶν, vbi monet, in diebus calidis aestatis quaerendos esse locos cauernosos, vmbrosos atque saxosos, et bibendum οἶνον βίβλινον h. e. frigidum. Quod vinum celebrat etiam ACHAEVS

E

Tra-

Tragicus, et THEOCRITVS Idyllio XIV. Sunt, qui vinum hocce nomen fortitum esse a Byblo, ciuitate Phoeniciae, aiunt; SVIDAS tum a Byblo ciuitate, tum a Biblia vitis genere dictum putat; GVILANDINVS l. c. p. 58. vocari vinum biblinum vult *inde, quia in eadem cum Biblio, i. e. papyri regione proueniat.* Nos vero respondemus, non dari regionem, quae *Biblus Aegypti* audiat, adeoque coniecturam GVILANDINI locum inuenire non posse, praeterea papyrus quidem ad edendum et fugendum, ast non vini more ad bibendum erat apta, adeoque, vsque dum aliud edoceamur, vinum biblinum a Biblio, ciuitate Phoeniciae, dictum esse malle; nomen vero haec ciuitas adeptus fuit a biblio, h. e. papyro Aegyptia. Quod si autem quis cum EVSTATHIO in Iliad. *α*, aut cum ATHENAEO L. I, Biblinam Thraciae esse regionem, indeque vinum biblinum dictum fuisse asseueret, litem magnam ei non mouebimus, quippe cum Thracia terra sit frigida, et *οἶνον βιβλινον* ab HESIODO ad refrigerium in calore sit commendatum.

§. XXII.

V. AD ARMATVRAM NAVTICAM papyrum quoque fuisse ab Aegyptiis vsurpatum GVILANDINVS refert, siquidem varia *armamenta nautica* inde facta fuisse, ait, qualia autem ea fuerint, tacet; interim tamen non omni destituitur fundamento, cum se *βιβλινὰ ὄπλα* in diuino *Odyssae* poemate legisset, eaque non a Pseudo-biblo, sed a biblio Aegyptia h. e. a papyro nominata ac confecta fuisse contra EVSTATHIUM defendat, et adhaec etiam nauigia papyracea sententiam eius confirmant.

§. XXIII.

VI. AD CALCEOS accommodabatur papyrus, quod bene quoque obseruarunt DALECHAMPIVS ad h. l. Plinii, et CAMP. VITRINGA ad C. XIX. v. 7. Es. Sic HERODOTVS L. II. p. 116. Sacerdotes quoque *calceos papyraceos, ὑποδήματα βιβλινὰ*, gestare solitos refert, nec alios calceos Aegyptiorum flaminibus ac sacrificulis gestare fas fuisse memorat. SCHEFFERVS vero, vti Summe Reuerendus D. SAL. DEYLINGIUS in Obseru. P. III. Disp. de fletu super Thamus

muz

muz p. 524. pro ea, qua pollet, industria, adnotauit, *Pythagoreos* quoque et *Indi accolae* ὑποδήματα βιβλα h. e. eiusmodi calceos ex papyro factos gestasse probat in *Philos. Ital.* p. 153.

§. XXIV.

VII. AD CORONANDOS DEOS quoque papyri vsum haud exiguum fuisse facile B. L. intelliget, si in animum reuocet verba ANACREONTIS poëtae lyrici, supra ad §. V. huius Capitis allegata, vbi Deum amoris, Cupidinem aduocans, ei videbatur

ὁ ἔρως χιτῶνας δῆσας
ὑπὲρ ἀνχέναις παπύρω

h. e. Cupido quoad tunicam ligatus seu *circumdatus papyro super ceruice*. Procul dubio folia papyri honori coronarum in nuptiis adhibebantur. Hinc PLINIVS supra l. c. dixit: nascitur papyrum semine nullo, aut *vsu eius alio, quam floris ad Deos coronandos*. Laudat ideo coronam e papyro *Agésilau*s apud PLVTARCHVM p. 617.

§. XXV.

VIII. AD STRATA VARIJ GENERIS quoque magnum praestabat vsum papyrus; Hinc PELAGIVS de vitis Sanctorum: vides autem, inquit, Aegyptium vestitum mollibus rebus, et budam a) de papyro, et *pellem stratam sub ipso*. Et paullo post: pro his dedit mihi Deus *stramentum de hoc papyro*, et hanc pellem. b)

a) Buda est stramentum vel storea, *eine Decke von Binsen-Rohr*. ISIDORVS budas stramenta camelorum i. e. σάγματα, vel σρωματα alias exponit.

b) Heic vocat *stramentum de papyro*, quam paullo ante budam de papyro vocauerat. Est enim buda ex graeco βυδη, quod a verbo βύω, *farcio, impleo*, factum est.

§. XXVI.

In specie legimus papyrum quoque tum ad ceruicalia, tum ad toros mortuorum farciendos valuisse. α) Ad *ceruicalia* quod attinet, rachanas olim de papyro, h. e. fasciculos, qui ceruicalium vice erant, Aegypti habuere, auctore SALMASIO l. c. p. 706. vbi addit simul testimonium ANASTASII in vita IOANNIS Eleemosynarii, qui sequentem in modum loquitur: *illic eos fecerunt, quasi tholos* a) quos-

E 2

dam

dam prolixos, ligneis tabulis, pauimento strato, ad requiescendum, et simul cum storeis et rachanis per totam hiemem.

a) tholus est graecum *θόλος*, notatque t. den *Quer-Balcken und Schluss-Stein im Gewoelbe*, hinc ISIDORVS XIX, 19. *tholus proprie veluti scutum breue, quod in medio tecto est, in quo trabes* coeunt. t. testudinem ipsam aedium, die *Decke, das Gewoelbe selber*, vti h. l. Quam in sententiam VIRGILIVS Aen. IX, 408. *Suspendiue tholo, aut sacra ad fastigia fi i.*

§. XXVII.

β) *Lectos* autem mortuorum quod spectat, ad eos faciendos papyrus quoque adhibita fuisse legitur, quod SALMASIVS ex PLIN. L. XVII. c. 37. colligit Verba eius loco citato p. 705. ita fluunt: *papyro et scirpo, qui naturam habet papyraceam, farciebant lectos mortuorum, (scilicet Aegyptii,) cum quibus rogo inferebantur ac comburebantur.* Unde Martialis:

Fartus papyro dum tibi torus crescit.

Alimenta igitur ignibus ex papyro et scirpo quaerebant ad cremanda cadauera.

§. XXVIII.

Tandem quoque

IX. AD VSVM IGNIS, quem papyrus suppeditavit, nobis deueniendum est. Non enim solum *ad candelas*, sed et *ad calefaciendum* accersebatur papyri lignum. *Candelae* quidem e papyro, cera circumdato, parabantur, quibus prae-lucentibus mortui Aegyptiorum noctu possent efferri. Quam in rem PERSIVS:

Hinc tuba, illinc candelae.

Magis perspicue modum insuper indicat SALMASIVS l. c. p. 706. quando sic fatur: *detracto cortice, medulla interior candelis faciendis inseruiebat, cera circumdata.* Et haec vir excellentis ingenii hausit ex PLINIO, qui L. XVII. c. XXXVII. sqq. e quibus, inquit, *detracto cortice, candelae luminibus et funeribus seruiunt.*

§. XXIX.

Ad calefaciendum autem Aegyptiis inprimis radices papyri idonei videbantur. *Radicibus pro ligno utebantur,* inquit recte CAMP. VITRINGA ad locum nostrum, in quo
PLI-

PLINIUS ei praeiuit, qui loco saepe allegato, *radicibus*, ait, *incolae pro ligno vtuntur*, quod mirandum non est, cum vel nostra charta, papyrus dicta, ad calefaciendum quandoque possit adhiberi. Sic *ignem chartaceum* s. *papyraceum* a mercatore quodam in honorem Caroli V. accensum commemorat SCHVZIVS, Paft. Vehlfsanziensis in *Appar. Curios.* p. 1341. Quae omnia quo sunt certiora, et extra dubitationis aleam posita; eo minus necesse erit, vt iis immoremur. Sufficere autem haec nobis videntur de vtilitate papyri. Et ne nimis longi simus, vel tribus adhuc verbis addere volumus

§. XXX.

III. HISTORIAM OPERARIORVM, MERCATORVMQVE, quaeustum et victum ex papyro quaerentium. Quanquam autem ex amplissima vtilitate papyri cuilibet iam iam procliue sit iudicatu, quam multi operarii ex papyro potuerint victum quaerere; iuuat tamen CYRILLI ALEXANDRINI ad locum nostrum Esaiianum testimonium adducere, verba eius Tomo II. Opp. L. II. Sect. IV. in Es. p. 286. sq. ita sonant: *Διήρηται τῶν Αἰγυπτίων ἡ χώρα. Καὶ οἱ μὲν ἔχουσι τὴν γῆν τὴν ἀρόσιμον καὶ γονιματώτην, καὶ ἀμπελῶσιν ὅτι μάλιστα μενεδαῶνοί. οἱ δὲ πρὸς αὐταῖς οἰκῶσι ταῖς λίμναις, τὰ ἐξ αὐτῶν δρεπόμενοι. Ἰχθυοθήραι τε γὰρ εἰσι, καὶ ΠΑΠΥΡΟΝ ΑΠΟΚΕΙΡΟΝΤΕΣ, ΧΑΡΤΟΥ ΤΕ ΕΙΣΙ ΔΗΜΙΟΥΡΓΟΙ, καὶ λίνον ἐργάζονται τὸ χρισόν.* En *piscatores papyrum defecarunt*, ac chartae fuere artifices, quin et ex chartis, de papyro conficiendis, victum quaesuerunt. Maiorem lucem nobis accendit MONTEAVCON in *Antiqu. Rom.* T. III. P. II. L. V. c. 5. p. 351. verba eius sunt: *ingens erat multitudo Alexandriae, quae hoc diurno quaestu (ex papyro facienda) victum pararet, vt indicat HADRIANVS AVGVSTVS in Epistola sua apud VOPISCVM: Ciuitas opulenta, diues, foecunda, in qua nemo viuat otiosus. Alii vitrum conflant, ab aliis charta conficitur. Vnde apud eundem VOPISCVM legitur: FIRMVM tyrannum tantum habuisse de chartis, vt publice saepe dixerit: exercitum se alere posse papyro et glutine; h. e. vt MONTFAVCON cum CASAVBONO explicat: tanta penes FIRMVM tyrannum fuit papyri et glutinis copia, vt iis venditis potuerit ex precio exercitum alere; Et*

vere papyri magnum erat per totum imperium Rom.
commercium.

§ XXXI.

Et sic denique progredimur ad

CAPVT IV.

DE CONSIDERATIONE MORALI

פִּיפְרִיִּי SEV PAPHYRI.

ΣΤΝΟΨΙΣ.

Hanc considerationem VRSINVS, 2 omnipotentia Dei §. XII.
HILLERVS, et MONTFAVCON male 2 bonitas Dei §. XIII.
omiserunt §. I. 2 et iustitia Dei, praesertim h. l.
Ostenditur idcirco necessitas §. II. §. XIV.
Multi id laudabiliter cognouerunt p. ad Deum colendum s. officia
ex veteribus, et quidem Patri- specialia, cuiusmodi sunt
bis Graecis et Latinis §. III. 1. Cole Deum timore ac reuerentia
et IV. §. XV.
Ex recentioribus et recentissimis 2 Dei prouidentiae confide §. XVI.
quoque §. V. et VI. 3 Deum tanquam summum bonum
Consistit autem consideratio mora- ama §. XVII.
lis in eo, ut nobis via monstratur 4 Deum celebra laudibus. §. XVIII.
p. ad Deum cognoscendum 5 Deo grates agere ne obliuiscere
z. quoad existentiam §. VII. VIII. §. XIX.
Idque contra Atheos §. IX. 6 Cole Deum ei obediendo ac ser-
Vnde innotescit eius prouidentia uiendo. §. XX.
§. X. Quae omnia Aegyptii non obserua-
z. quoad essentiam s. attributa, runt, a Deo inde puniti. Et
qualia sunt sic additur clausula. §. XXI.
z. Sapientia Dei. §. XI.

§. I.

EXordimur hoc Capite eam tractationem, quam moralem
in scriptis, quaeque nobis officia, ex contemplatione
פִּיפְרִיִּי Aegyptiis propria exponit. Miratus sum, quod VR-
SINVS in *Arboreto suo* l. c. qui alioqui praecepta moralia
tractationi arborum eleganter inspergit, idque cum eo HIL-
LERVS in laudato *Hierophytico suo* l. c. nec non Celeberr.
MONTFAVCON, tam multa l. c. de papyro afferens, hoc
omiserint. Maximam enim partem considerationis absol-
uit enucleatio moralitatis, inde etiam vsus ex contemplatio-
ne in nos redundat. §. II.

§. II.

Adeoque summae est necessitatis, cuilibet plantae, cuilibet arbori, cuilibet herbae, quam in hac mundi machina considerare coepimus, adnectere considerationem moralem, praesertim vbi planta biblica enarratur. Eruditi est inde elicere fines Dei, hominis gentilis inde elicere Theologiam naturalem, Christiani autem inde deducere regulas vitae ad sanctitatis incrementum.

§. III.

Multi laudabiliter id cognouerunt, praelucente S. Scriptura, maxime diuino *Psalmissa*, iique tum veteres, tum recentiores.

§. IV.

Ex veteribus prostant Patres Graeci a) aequae ac Latini, b) qui dum *Hexaëmeron* Dei descripserunt, in genere quandoque etiam nonnihil moralitatis considerationi plantarum immiscuerunt.

a) Huc pertinet BASILIVS, de cuius Editt. et Versionn. legendus est Celeberr. FABRICIVS in *delectu argumentorum pro veritate religion.* p. 48. sq. EVSTATHIVS Antiochenus, quem ALLATIVS in Latinum transtulit, notisque eruditis illustravit, de quo videatur eiusd. FABRICII *Biblioth. Graec.* p. 169. His addimus SEVERIANI, Gabalorum in Syria Episcopi *Homilias VI. in Cosmopociam*, quae extant in longe elegantissima Editione BERN. de MONTFAVCON T. VI.

p. 437. cum Versione COMBEFISII.

b) Latinis annumeramus AMBROSIVM in *Libb. VI. Hexaëmer.* in quo quidem Opere vbique BASILII premit vestigia. Huc referri possunt et alii, qui ad modum Patrum de Opere 6. dierum scripserunt, vt BEDA Venerabilis in *Hexaëmer.* T. IV. Opp. Huic a latere est ponendus IO. PICVS MIRANDVLAVS in *Opere sex dierum.* IO. BLOMIVS in *Hexaëmero* Hamburg. 1664. edito.

§. V.

Ex recentioribus in specie id fecerunt Theologi aequae Philosophi Christiani, in primis Angli. a)

a) Adducamus hic saltem notatu dignissimos, quales sunt: IO. GERSON, Cancellarius Paris. qui edidit *Centilogium de causa*

finali, anno 1429. quod habetur T. IV. Opp. Edit. LVD. ELLIES du PIN. p. 807. sq. quod idem fecit MARSILIVS FICINVS T. I.

T. I. Opp. p. 676. ROBERTVS BOYLE in Tr. quem inscripsit: *of the high veneration man's intellect owes to God, peculiarly for his wisdom and power*, Lond. 1685. 8. vbi nos ad *sapientiam Dei vel ex plantis elucentem* ducit. SAM. PARKER in *Cogitationibus de Deo et prouidentia*, Lond. 1696. Porro

NATHAN CHYTRAEVS in *Cosmopoeia* Lib. V. de *δενδροσκοπία* s. *de stirpibus*, Brem. 1593. 8. vbi cognitio *Physica ad Dei prouidentiam et potentiam* inde cognoscendam applicatur. Et B. MOREAU in Tr. qui inscribitur: *Considerations morales tirees des ouvrages de la Nature et de l'Art*, a Liege 1682. fol.

§. VI.

Ex recentissimis in hoc campo illustres sese dederunt CHRIST. WOLFF. a) BERN. NIENWENTYT, b) WILLIAM DERHAM, c) et cum iis IO. GEORG. WALCH. d)

a) p. in *Absichten der natürlichen Dinge* Hal. 1723. 8. p. im *Gebrauch der Theile am Menschen, Thiere und Pflantzen* ib. 1725. 8.

b) In eleganti Opere, quod inscripsit: *Het regt gebruik der Werelt beschouwingen, ter overtuiging van Ongelovigen*, Amstel. 1715. 4. Huic adiungendus est RAIVS in *Wisdom off God*, qui iam ante eruditus innotuit *historia plantarum* de quo supra ad Cap. III. §. I. diximus.

c) In praestantissimo Tr. cui titulum dedit: *Physico - Theology*. Huius Versionem Germanicam procurauit Celeberr. IO. ALB. FABRICIVS Hamb. 1732. cum ante viderit Italam, Hollandicam, Gallicamque Versionem, conf. *Acta Erudit. A.* 1716. p. 106. et *Unschuldige Nachrichten A.* 1716. p. 283.

d) In *Lex. Philosoph.* sub titulo: *von den Pflantzen* p. m. 1965.

§. VII.

Consistit autem consideratio moralis *ערוך* papyri in eo, vt nobis via inde monstratur ad Deum *tum cognoscendum, tum colendum, παιδαγωγία* nempe naturali. Deum si inde cognoscere velimus, illiusmodi cognitio referenda est partim ad eius *existentiam*, p. ad eius *essentiam* s. attributa.

§. VIII.

Quod ad *existentiam* attinet, papyrus in Aegypto nascens, nos condocet existere Deum. Nam ratio cognoscit ex effectu causam, ex opere auctorem, ex fine sapientissimo conditorem. Collige: papyrus frutex non est a se ipso, sed ab alio, vim crescendi indente; Si ab alio, is perfectissimus, sapientissimus potentissimusque sit necessum est; siquidem planta illa, papyrus, quoad minimas partes est perfectissima, quoad vsum sapientissi-

piētissime producta, et quoad primam productionem, continuamque sui multiplicationem potentissime procreata. Sic videbis dari ens perfectissimum, sapientissimum, potentissimum, quod est Deus. Sane

Praesentem refert quaelibet herba Deum.

§. IX. Vnde Atheismum plane cum ratione et experientia pugnare, immo *αλογον* esse quilibet videt, et recte laudatus WILLIAM DERHAM l. c. L. XI. c. III. ostendit. conf. Pf. XIV, 1.

§. X. Ratio deprehendit porro, ens hocce perfectissimum, quod Deum vocamus, non tantum papyri esse causam, sed per eandem etiam provida sua cura Aegyptiis prospexisse, eorumdemque alimenta, vestes, incrementa hoc modo procurasse, ex quo Dei *providentia* satis superque elucet. Quid enim tam furiosum esset, quam Deum *creatorem non negare, gubernatorem negare, aut factorem esse omnium, eundem vero quae fecit negligere*, inquit SALVIANUS *gubernat. Dei* L. VII. p. 262. et IO. LASSENIUS *in heiligen Moralien* p. 535. Plura hanc in rem edisserit IO. FRANC. BVDDEVS *in thesibus de atheismo et superstit.* ad c. I. §. 19. p. 69. item ad c. III. §. 1. p. 241. sq.

§. XI. Quoad *essentiam* s. attributa aliquo modo etiam ex papyro Deus potest cognosci. Nos potiora, quae huc spectant, breuissimis adponemus. *Sapientia* Dei omnium *primo* Aegyptiorum poterat succurrere menti. Quod si enim omnes partes huius fruticis, quas Cap. II. supra descripsimus; si situm et natales eius *ל-על-על-על* vbi succi, adeoque vitae defectus non erat extimescendus, animo secum volutarunt, non potuerunt non inde admirari Numen Sapientissimum, quod omnia tam artificiose, tamque sollicitate ad finem certum creavit. Vnde merito David exclamat: quam magna sunt opera tua, o Deus, *קצו נה* quam profundae sunt cogitationes tuae! Pf. CIV, 24. et PAVLVS: o quantae profunditates sapientiae Dei sunt! Rom. XI, 33.

§. XII. *Alterum* attributum ex papyro elucescens, est *infinita Dei potentia*, sapientiae eius consobrina. Etiam si enim Deus de creanda eiusmodi planta, quae Aegyptiis proficua foret, cogitasset; nisi potentia eius immensa fuisset, frustra fuisset sapientia. O quanta ex aduerso est impotentia hominum, qui ne folium quidem minutissimae herbae sua virtute, suo Marte ex terra proferre valent!

§. XIII. *Tertium* attributum Dei esto *bonitas* eius. Reputet quaeso, secum L. B. ea, quae Cap. antec. de usu papyri diximus; reputet quaeso, secum, quod Deus non alibi tam copiose, et utiliter progerminare passus sit papyrus, et inde mirabilia sane bonitatis div. argumenta Aegyptiis sese approbasse animaduertet. Sed abundantia papyri ingratis incolis Aegypti excitabat fastidium, et iustam proinde Dei largitoris Benignissimi iram, cum qua nos ducimur ad

§. XIV. *Iustitiam* Dei tanquam *quartum* attributum eius. Certe quam elemens Deus est, tam iustus ac terribilis ira est! Dictum nostrum Etiam de eo satis nos convincit.

F

§. XV.

§. XV. Ecce hoc modo papyrus Aegyptios ad cognoscendum Deum, cum quoad existentiam, tum quoad essentiam s. attributa potuit inflam- mare. Sed praeterea eosdem etiam ad *colendum Deum* s. ad officia spe- cialia, religioni naturali inferuentia, potuit manuducere. Nimirum ubi adest cognitio Dei, papyri autoris, sapientis, potentis ac iusti, ibi de- bet adesse timor ac reuerentia. Officium *primum* itaque, ex doctrina de papyro resultans, est: *cole Deum timore ac reuerentia.*

§. XVI. Cuique Deus eorum saluti per papyrus prospexerit *oculo suo prouido*, quem ipsimet Hieroglyphice olim depingere, debebant ve- rum Deum magis inquirere, et *ἠλαφρόσυνα*, iuxta monitum Pauli Act. XVII, 27. eique tanquam summo rerum moderatori, et benignissi- mo papyri conseruatori confidere, et inde *alterum* officium erit: *Dei prouidentiae confide.*

§. XVII. Haec, si quis penitus inspiciat, Deum papyri, fruticis tam inauditae utilitatis largitorem, non solum admirabitur, sed et amore dignum iudicabit, tanquam super omnia pulchrum, clementem et ama- bilem: *tertium* itaque officium praecipit: *Deum tanquam summum bonum ama.*

§. XVIII. Quod amore dignum est, illud promeretur procul dubio laudem. *Quartum* igitur officium est: *lauda Deum papyri creatorem.* Non defatigemur in laudando Deo, cum non fuerit lassus in procrean- dis tam stupendis operibus, praeclare loquitur GALEN. de usu part. L. VII. c. 18. Idem monet DERHAM in *Physico-Theologiae* L. XI. c. 2. Recte David laudat Deum ob arbores, quae ab eo *ωδω* saturantur sc. humore, cuius Davidis vestigia sequamur.

§. XIX. Quoties Aegyptii manducabant, tractabant, usurpabant papy- rum, sibi in usum a Deo concessam, toties etiam ad *χαριτολογία* et gra- riarum actionem poterant ac debebant inuitari. Vnde nouum emergit officium illud: *Deo grates agere ne obliuiscere.*

§. XX. Denique etiam Deus iure creationis et domini merito ab Aegyptiis, papyri quasi dominis a se constitutis, postulauit, ut ei obe- dirent atque probe ponderarent, se aliquando ad rationem de abusu pa- pyri vocatum iri, *sextum* ergo officium mandat: *cole Deum ei obedi- endo ac seruiendo.* Voluntatem Dei, Domini sui, nouerant Aegyptii, tum per legem cordibus omnium inscriptam Rom. II, 15. tum per Pro- phetas, ut. h. l. per Esaiam, annunciatam. Vnde illo die apparebit, qui Deo seruiuerit, quique non seruiuerit Mal. III, 18.

§. XXI. Quae omnia tamen repudiauit Aegyptus, eiusque incolae, natura lem de Deo reprimentes notitiam, eligentes idola, quare Deus hoc Cap. XIX. Esa. v. 1-7. dicitur eos puniturus exsiccatione Nili et pa- pyri, quod etiam factum est. Felix, quem faciunt aliena pericula cau- tum! Et sic Deo agimus grates, quod adest finis.

COROLLARIA.

- I. Theologia naturalis est per modum habitus connati insita.
- II. Dantur plantae sine semine, uti nostra papyrus.

— (o) —

Coll. Mus. A 125, Musc 14